



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 23. Sigismundi Poloniae Regis victoria de Moscocvitis reportata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. non Ecclesiæ Gallicanæ libertatem.  
 A. C. 1641. Hanc vero declarationem præter P. Pro-  
 vincialem quinque alii Jesuitæ suo chi-  
 rographo firmarunt.

## §. XXIII.

*Sigismundi Poloniae Regis victoria  
 de Moscovitis reportata.*

*Mert. Gallo-  
 belg. Annal.  
 tom. 6. l. 4.  
 tom. 7. l. 1.  
 pag. 75.  
 Sleid. contin.  
 l. 16. p. 1212.*

Intestina Moscovitici imperii diffidia  
 Sigismundum Poloniae Regem inci-  
 tabant, ut a Majoribus suis amissa re-  
 cuperandi, & universam Moscoviam  
 Polonicam armis suis subjiciendi propo-  
 situm conciperet: Collectis igitur va-  
 lidis copiis primo Smolencum muni-  
 tissimum Russiæ propugnaculum die duo-  
 decima Junii cinxit, obsidionis cura  
 Vilniscio demandata: Hic vero iterata  
 tormentorum explosione latas murorum  
 ruinas fecerat, ac Germanorum ope  
 proximum moenibus propugnaculum  
 occupaverat, inde vero in concavum  
 quemdam locum magnam pulveris vim  
 clam inferri jusserat, quo incenso tam  
 ampla muri pars corruit, ut Polonis fa-  
 cilem irruptionem præferret: decreto  
 igitur, ac prospere expedito assaltu Vil-  
 niscius urbem cepit, Moscosque a Boryst-  
 henis ripis tam valide rejecit, ut eo-  
 rum ad urbem & intra vallum ducenta  
 millia vario cladis genere absumeren-  
 tur:

tur: demum continuato victoriæ cursu Sæc. XVII.  
idem Bellidux e castellis, omni circum- A. C. 1611.  
quaque Russia, præsidia expulit, hosti-  
lemque militem ad incitas redegit. Au-  
gebantur etiam Poloni sat opportuno  
tempore decem millium equestris po-  
tissimum roboris subsidio, quo sese in-  
dies magis formidabilem Scythis illis  
efficiebant. Percepta hac insigni victo-  
ria Rex, qui tum Varsoviæ in Proce-  
rum comitiis erat, non tam de agra-  
tulantium gloria, quam de oblata cle-  
mentix captis exhibendæ occasione læ-  
tabatur; cum enim inter nobilissimos  
captivos Schelkezyus supremus Polo-  
nicæ militiæ Ductor ad publicum Pro-  
cerum regni que confessum Suiskium  
magnum Moscoviæ Ducem, ejusque  
duos fratres in acie captos, velut lu-  
ctuosam victoriæ victimam produceret,  
atque hi in genua provoluti, & pristi-  
næ fortunæ memores repentinum sum-  
mo de culmine in maximam calamita-  
tem lapsum deplorarent, gratiam Vi-  
ctoris implorantes, Rex miserando hoc  
invidæ sortis spectaculo motus, cum  
nihil magis regium fore, quam affli-  
ctos post ruinam erigere censeret, cle-  
menter illos affatus, bono animo esse  
jussit, pollicitus, quicquid pro præsentis  
casus humani conditione, gratiæ, quic-  
quid ab ullo Victore sperare benevo-

Sæc. XVII. lentiæ possent, id a se tanquam Patre, A. C. 1611. fide Regia, expectarent. Hac vero munificentia Rex tantam apud suos sibi laudem comparabat, ut Senatores omnia fere ejus postulata rata haberent, ingentemque pecuniarum summam pro iterata in Moscoviam expeditione sponderent.

*Mercur. l. c.* Non minus celebrem immoto Religionis tuendæ studio sese reddebat Sigismundus Rex, dum in iisdem Comitibus Joannem Sigismundum Electorem Brandenburgicum die decima quinta Novembris exceperat. Hic, postquam die vigesima quarta Junii Pragæ feudum Electorale a Cæsare impetraverat, post Alberti Boruffiæ Ducis obitum, hunc Ducatum sibi, suisque fratribus, ac inde descendentibus in feudum a Rege concedi petebat: Annuit quoque Ducis precibus mitissimus Rex, nequicquam se opponentibus non paucis Regni Polonici Proceribus. Inter ceteras vero, quibus hunc Ducatum concessit, conditiones sigillatim has juramento firmatas præscripserat. I. Religio catholica, Apostolica, Romana omnibus in Ducatu eam profiteri volentibus libera esse debebit. II. Ad munera & honores, si qui ex Catholicis idonei fuerint, aditus eis erit, ii tamen nonnisi idoneis & indigenis dabuntur. III. Qui-

III. Quicumque Catholici jus Patronatus habuerint, Religionis Catholicae exercitium iis in locis introducere integrum illis erit. IV. In usum Ecclesiae Catholicae Romanae unum templum in suburbio, loco decenti Brandenburgicus Elector exstruet. V. In dotem Ecclesiae Catholicae, Apostolicae Romanae & in alimenta Parochi mille floreni assignabuntur, domus itidem pro eo & habitantibus necessariae exstruentur. VI. Jus praesentandi Parochum ad Electorem pertinebit, isque praesentari debet a Reverendissimo Episcopo Varmientiensi, si intra semestre tempus ab ipso Electore non praesentabitur. VII. Securitatem eidem Parocho omnes Magistratus praestare tenebuntur. VIII. De altero templo sua Regia Majestas facultatem sibi agendi per Commissarios cum Provincialibus reservabit. IX. Calendarium novum in Ducatum introducetur.

## §. XXIV.

*Salisburgensis ditio a Bavariae Duce occupata.*

Exorta erat superioribus annis inter Maximilianum Bavariae Ducem & Wolfgangum Theodoricum Archiepiscopum Salisburgensem haud levis controversia

*Adlzreiter  
Ann. Boic.  
tom. 3. p. 3.  
lib. 2.*